



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Q. SEPTIMII|| FLORENTIS|| TERTVLLIANI||
CARTHAGINIENSIS|| PRESBYTERI, OPERA|| QVÆ
HACTENVS REPERIRI|| POTVERVNT OMNIA:||**

Tertullianus, Quintus Septimius Florens

Antverpiae, 1584

Iacobi Pamelii Ad Lectorem Præfatio De Totivs Operis Et Librorvm Tomi
Hvivs Ordine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73633)

IACOBI PAMELII AD LECTO-
REM PRÆFATIO DE TOTIVS OPERIS ET
LIBRORVM TOMI HVIVS ORDINE.

ORDINEM à nobis immutatum Epistolarum B. Cypriani, etsi ini-
tio quidam non probarent, quòd non tam facilè reperire daretur
locos ipsius à Neotericis scriptoribus iuxta editiones veteres cita-
tos: tandem tamen calculo suo confirmarunt omnes, vbi penitiùs
aduerterunt Catalogum earùdem editionum post vitam Auctoris simul ad-
ditum: quod adeò vt ne quis ignoraret, in Parisiensis editionis frontispicio
eius rei Lectorem admonendum putavi. Si id ipsum faciam in Tertulliano
nostro, minus mirabitur quispiam, quippè cuius Libri nullo ordine certo aut
editi aut citati deprehenduntur. Nos itaque imprimis in quinque Tomos il-
lum distinximus: quorum primo continentur scripta ADVERSUS GEN-
TES ET IVDÆOS, secundo PARÆNETICA, tertio ADVERSUS HÆ-
RESES, quarto POEMATA, ET EORVM QVÆ ADVERSUS HÆ-
FRAGMENTA, quinto denique QVÆ ADVERSUS ECCLESIAM IN
HERESI SCRIPSIT ET ALIENA. Qua in digestionè, præterquàm
quòd ex parte sim imitatus B. Possidium Indiculo Operum B. Augustini, etià
id obseruavi, vt priori loco collocentur, quæ initio susceptæ fidei conscripserit,
deinde quæ Presbyter, tum quæ iam prouectior, postremò (interiectis quæ
recreandi animi gratia scripsisse videtur Poëmatibus) quæ sub finem vitæ in
lucem dedit. Porò inter eos qui primo Tomo continentur libros, quin pri-
mo omnium Carthagini peroratus sit DE PALLIO LIBER, nemo dubi-
tare potest, qui occasionem scribendi eam solam animaduertit, quòd iam
Christianus factus habitu pro more immutato, à Toga transisset ad Pallium.
A POLOGETICVS ADVERSUS GENTES aliquot post annis, vbi primù
cepit quinta sub Seuerò Imperatore Ecclesiæ persecutio, Romam ad Roma-
ni Imperij Antistites missus exstitit, si fortè eorum animus calumniis dilutis,
emolliri possit. Quo scripti genere quum se parum videret proficere, in con-
uertendis ad fidem ethnicis, alia id via tentans, DE TESTIMONIO ANI-
MÆ ADVERSUS IDOLA LIBRVM edidit, in quo etiam disertis verbis
c. 5. ad Apologeticum adludit, vt potè in quo sacras litteras sæcularibus anti-
quiores c. 19. comprobauerat. Eodem ferè tempore, quum iam etiam Car-
thagini persecutio atrocior in Christianos fieret quàm alibi, ad SCAPVLAM
LIBRVM edidit, Prouinciæ Africae Præsidentem seu Proconsulem. Postremò,
ad LIBRVM ADVERSUS IVDÆOS quod adtinet, etsi non omninò con-
flet quo tempore, tamen antequàm Presbyter esset, publicatum fuisse ab Au-
ctore, ipsum Libri auspiciis satis indicat, quum disputationis meminit in-
ter Christianum (de se haud dubiè locutus) & Profelytum Iudæum. Atque a-
deò etiam ante Librum ad Scapulam collocari oportebat, nisi alterius esset
argumenti. His vale in Christo, Candide Lector, equi bonique labores hos
nostros consulens.